Nec coeunt nexu federa queqꝫ pari
Sepe breues frutices ad terrā sternere plaustra
Vidimus et celeres detinuisse boues
Sepe breuis magnas euertit machina turres
Impulsus leui menia summa ruunt
Se premit imbre leui violentia maxima venti
Atqꝫ procellosas mitigat eurus aquas
Nil ꝯtemnendum reputes qđ tempore quouis
Ferre vl' auxilium vel nocuisse potest
Utilius interdum quod carius esse putamus
Constat. et est maius qđ minus esse putas
Obstitit interdū magnis res parua periclis
Terruit et rabidos paruula virga canes
Urbibus in medijs incendia magna repente
Extingui modica sepe videmus aqua

## Cōmendatio caude per Brunetam

Corporis ğ mei q̄uis pars vl'ia cauda
Utilius tamen hac nil reor esse mihi
Que q̄uis oneri modo sit nulliqꝫ decoris
Estiuo redimit tempore damna sui
Unica cauda mihi plus q̄ꝫ duo cornua prestant
Tempore muscarum plusqꝫ salutis habet
Uentilat hec vespes seuos dispergit oestres
Uerberat et muscas improbitate graues
Cauda mihi clipeus gladiꝰ mihi cauda securis
Lancea funda lapis claua sagitta mucro
Cauda colit corpus cutis est fidissima nutrix
Pulueris abstergens quicquid adhesit ei
Hec lauat hec tergit hec omnia sola ministrat
Ultima membrorum prima labore suo
Si bene pensetur quid honoris et vtilitatis
Contulerint domine singula membra sue
Sola suo capiti membris sꝫ et omnibus vna
Plus valet est et eis officiosa magis
Hec mea cauda mihi vario pro tempore confert
Que tamen est certo tempore grata mihi

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-ii-179/0018
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG